



AB  
37  $\frac{13}{148}$





00 Nr.

00  
see

ms. = 00 Nr.

M-5 453

Lib. grat. & antiquor.

in Quarto  
N. 24.

II 1 a 24.



CICERONIA-  
NARVM ORATIO-  
NUM STATVS, ET HO-  
RVM AD RES CIVILES  
ACCOMMODATIO.

*Autore*

M. HARTVICO SMIDESTEDT.



HELMSTADII

Ex Officina typographica Iacobi Lucij.  
Anno M. D. XC.



NOBILI GENERE ET DOCTRINA VIRO,  
DOMINO IOHANNI GODEFRIDO A SICKIN-  
gen Brunouicensium Ducum præfecto, Domino  
& fautori suo.



*Recepi vir Nobilissime rogatus, ad studij Oratorij operosissimi  
felicissimam imitationem, Ciceronianarum orationum omnium  
status, & horum ad res civiles accommodationem, qualem qui-  
dem studio ac iudicio meo, causis dicendis plerisque, aptatam, sub  
ipsa orationum copia reperire ac comminisci potui. Nec quid  
enim ad Oratorem tam consummatum, & subito intelligendum & commodè in  
rebus serijs imitandum, fore utilius loco primo arbitratus fui, quam si ex lato  
& fuso orationis cuiusque corpore, Propositio brevis, cui reliquus rerum cumulus  
adhæresceret exciperetur, & hæc negotijs quibusque, copiosè tractandis civilibus,  
concinne & dextrè accommodaretur. Quem nos laborem tibi vir Amplissi-  
me propter generis antiquitatem, & virtutes illustres ac nobiles tuas dedicatis,  
ideo suscepimus in gratiam auditorum studij huius labentius, & quod singula-  
rum Ciceronis orationum egregiam ad res civiles accommodationem, in nullo  
commentantium autorum libro deprehenderemus, & quod statum orationis in  
ipsum, ad quem omnis reliqua sententiarum ac periodorum reduceretur copia,  
perperam sæpe, & minus dextrè à nonnullis observatum, planè ipsi & videremus  
& intelligeremus. Fit autem, ut statum orationis vero, non satis dextrè ab inter-  
pretibus reperto vel animaduerso, orationis series sub tractatione fusiori ipsa  
turbetur, membrorum ductus confundatur, male acies instruat, adeoque, angu-  
sta & solers in rebus civilibus imitatio, forma sua tota mutetur ac violetur. I-  
taque, ne quid huius accideret, & ut de omni argumento dictione in vita hominum  
explicando, materia apud Ciceronem iusta & legitima suppeteret, hoc quic-  
quid fuit opere ad imitationem colligere, & in iuuentutis apud nos Scholasti-  
ce usum liberaliter erogare voluimus. Perfruentur labore nostro omni-  
um gloriosissime illi, qui conatum aliquid ex dicendi operoso studio,  
ad res Ecclesia & Reipub. oratione illustrandas, afferre &  
consumere destinauerunt.*

M. Hartuicus Smidestedt.

ORATI-



ORATIONES ANTE GESTVM  
MAGISTRATVM DICTAE,

Anno etatis Ciceronis 26 & 27.

**P**RO P. Quinto, cuius status iuridicialis, Num possederit bona P. Quintij Neuius, ex prætoris edicto. Itaq; propositio, de qua orationem elaborat Cicero, nuda & brevis ista est: Non possedit bona P. Quintij Neuius, ex prætoris edicto. Habet locum illustrem oratio, in defensionibus contra vim illatam priuatam seu publicam.

Pro Sexto Roscio Amerino, Cuius status coniecturalis, Num Sextus Roscius patrem interfecerit. Itaq; propositio, de qua orationem elaborat Cicero, simplex & brevis ista est: Sextus Roscius non est parricida. Habet locum illustrem oratio, in defensionibus, in quibus factum enorme & atrox quodlibet, maxime vero homicidium negari solet.

ORATIONES DICTAE QUAE  
STVRAE ET AEDILITATIS TEM-

pore, ab Anno etatis Ciceronis 31 ad  
annum etatis eius, 38.

**P**RO Quinto Roscio Comædo, Cuius status, Num debeat Roscius pecuniam Fannio ex societate. Itaq; propositio, de qua orationem elaborat Cicero, nuda & brevis ista est: Roscius non est parricida. Habet locum oratio in defensionibus, in quibus factum, maxime furtum & spolium, debitum & mutuum solet negari.

A. 2

In Ver-



In Verrem orationes septem, quarum

Prima, Diuinitio dicta, Statum continet, Vtrum Verrem Cicero, num vero Cœcilius debeat accusare: Itaq; propositio de qua orationem elaborat Cicero, nuda & breuis ista est: Cicero causæ actor eligendus, Cœcilius vero reijciendus. Habet locum illustrem oratio, in dubia consultatione, quæ tota constat personarum & rerum comparatione, maximè vero in regum, principum, imperatorum, Episcoporum, & regni procerum sedata ac graui electione.

Secunda, Postulatio dicta, de nouo genere agendi, statum continet: Num perpetua oratione vtendum, an vero intercisa, ad breuem criminum in Verris accusatione commemorationem, & testium ipsorum productionem.

Tertia, in qua summas artis & accusationis vires ostentauit Cicero, statum vel propositionem continet: Verres in quaestura, in legatione, in prætura vrbana sibi commissa, omnia auarè & perfidè, impudenter ac dolosè, iniuste & sceleratè egit. Habet locum illustrem oratio, in acerbissimis inuectiuis, criminationibus, infectionibus, vituperationibus, & vehementissimis accusationibus, maximè vero contra personas publicas, auarè munera publica in vita gerentes.

Quarta, propositionem continet: Idem Verres, sub prætura Siciliensi, crimina turpissima in dicendo iure commisit, iudicia ob pecuniam dedit, iurisdictionem & honores vendidit, statutorum



torum nomine pecuniam exprefsit, cumq; pu-  
blicanis in furtis collufit. Habet locum oratio in vehe-  
mentiffimis criminationibus, & acerbiffimis accusationibus,  
maximè verò contra iudiciorum corruptores, legum peruer-  
fores, auaros & fraudulentos magistratus ac iudices.

Quinta, Frumentaria dicta, propositionem continet:  
Verres in frumento decumano, frumento  
empto, & frumento æftimato, Vendendo & au-  
ferendo, Siciliam totam, & populum Rom. frau-  
dauit. Habet locum oratio, in ijsdem fimilis argumenti gra-  
uiffimis accusationibus, maxime vero contra raptores, fures,  
fraudentos, auaros, illiberales, & omnes reliquos, fi qui con-  
tra leges & confuetudines, iudicata & pacta delinquent.

Sexta, De signis dicta, propositionem continet:  
Verres signa omnia, monumenta, tabulas, pictu-  
ras, & res cuiuscunq; generis preciosas quæfuit  
infpexit, & tandem ex facris prophanifq; locis  
abftulit. Habet locum oratio in ijsdem fimilis argumenti a-  
cerbiffimis accusationibus.

Septima, De supplicijs dicta, propositionem con-  
tinet Verres rem bellicam luxuriosè, auarè &  
flagitiosè adminiftrauit, tum vero Romanos ci-  
ues, omni suppliciorum genere affecit. Habet lo-  
cum oratio, in acerbiffimis infectationibus, maxime vero con-  
tra magistratus & viros principes, auarè ac libidinosè rem ad-  
miniftrantes, tum vero crudeliter in cuiufq; generis homines  
fæuientes.



Pro M. Fonteio, Cuius propositio: Gallorum querelis non est credendum, quod sub Fonteii praetura, aere alieno sit oppressa Gallia. Habet locum oratio in defensionibus, in quibus negari factum solet. Inprimis vero locum habet illustrem haec oratio, in testibus productis aut citatis, modo copioso & oratorio eleuandis.

Pro A. Cecinna, cuius status legalis, scripti videlicet & sententiae, Vtrum Ebutius Cecinnam de praedio deiecerit, cum ne quidem Cecinnam tetigerit, sed accedentem eum per homines armatos prohibuerit, Atque vtrum ideo Ebutius ex verbis interdicti unde vi, ad Cecinnae restitutionem teneatur. Itaque propositio, de qua orationem elaborat Cicero, nuda & breuis ista erit: Ebutius Cecinnam accedentem per homines armatos prohibens, de praedio deiecit, & ex interdicto unde vi, ad Cecinnae restitutionem tenetur. Habet locum illustrem oratio, in grauibus actionum controuersijs, & iuris plerisque materijs, ratione ornata & copiosa explicandis, maxime vero in processu ordinario ipso, & iuris defensionibus, in quibus legis, testamenti, cautionis, stipulationis, vel scripti cuiusque sententiam & voluntatem contra verba tuemur.

*ORATIONES PRAETORIAE,  
PRAETURAE TEMPORE DI.*

*Et, ab Anno aetatis Ciceronis 40 ad annum aetatis eius, 44.*

**P**RO lege Manilia, cuius duplex status seu propositio:  
Enitendum Viri Romani vobis in bellum  
con-



contra Mitridatem, potentissimum regem & hostem: Deinde vero ad hoc idem bellum. Imperator deligendus inter omnes Pompeius. Habet locum pars orationis prima, in cohortationibus acerbis & vehementibus, quibus ad bella gerenda vel sedanda, ad pacem firmandam, ad tributa pendenda, ad studia capefcenda, ad virtutem colendam, & res cuiuscunq; generis alias agendas & suscipiendas auditorum animi extimulabuntur. Pars vero posterior orationis, locum obtinebit veriore, in dubia consultatione, quæ vel circa regum, principum, imperatorum, vel personarum quarumcunque publicarum obtingere potest electionem.

Pro A. Cluentio, quæ etsi statum principalem habeat, Num vitricum suum Oppianicum, Cluentius veneno sustulerit, iudicio tamen Ciceronis, causam ipsam constituentis, continet disertè tres propositiones oratio: Prima: Oppianicus iustè ex factis & præiudicijs condemnatus fuit. Secūda: Oppianicus quantumuis condemnatus, iudicium pecunia corrupit. Tertia: Oppianicum Cluentius veneno non sustulit. Habet locum oratio in criminationibus, in defensionibus supplicij iustè sumpti, & sententiæ iustè irrogatæ, in accusationibus iudicij pecunia corrupti, in defensionibus facti & maximè beneficij non commissi.

*ORATIONES CONSULARES,  
CONSULATUS TEMPORE DI-  
ctæ, Anno ætatis Ciceronis 44.*

**D**E lege Agraria contra Seruilium Rullum, tribunum plebis  
in se-



in senatu, cuius propositio: Lex Agraria de vectigalibus vendendis, agris emendis, & in populum distribuendis, coloniisque deducendis, haud, quaquam debet habere locum in Romano populo. Habet locum illustrem Oratio, in dissuasionibus factorum & consiliorum, ut foederum, bellorum, coniugiorum, & conatum maxime illorum, qui vel quoquo modo gubernationi, & gubernationum formis perniciosi, & intolerabiles videntur.

De lege Agraria contra Seruilium Rullum ad populum, cuius propositio: Lex Agraria de bonis vendendis, agris emendis, & Colonijs deducendis, acceptanda non est. Habet locum illustrem Oratio, in maximarum rerum dissuasionibus, quae libertatis imminutionem, dominantium intolerabilem quæstum & potestatem, urbium ac Rerumpub. cladem ac internecionem minitantur.

De lege Agraria contra Seruilium Rullum ad populum oratio secunda, cuius propositio: Ego Cicero non sum (ut falso asserunt Agrarij) Tyrannidis Syllanae defensor & fautor. Habet locum illustrem oratio, in quaui breui defensione, suis ordinatis & debitis Orationis partibus constante, tum vero crimen ipsum in aduersarium retorquente.

Pro C. Rabirio perduellionis reo, cuius stat<sup>o</sup> & propositio: C. Rabirius perduellionis, in eo, quod Saturninum tribunum plebis occidisse accusatur, non est reus. Habet locum illustrem oratio, in defensione non facti & iure facti, maxime vero in defensione, sese exemplo aliorum idem facientium tuente.

In Ca-



In Catilinam Prima, cuius status & propositio: Ego te Catilinam adhortor et moneo, vt quamprimum vrbe exeas, & vel in exilium, vel ad castra Maniliana discedas. Habet locum illustrem Oratio in exhortatione acri & inflammata, maxime illa, quæ adiunctam habet animi iustam commotionem & indignationem.

In Catilinã Secunda, cuius status & propositio: Tandem Catilinam nefaria patriæ molientem vrbe eieci, & profligavi. Habet locum illustrem Oratio, in acclamationibus & gratulationibus, post res quasq; benè, prosperè, & vtiliter gestas, prouisas, meditatatas, tum vero in omnibus ijs, quæ vel læta ac prospera obtigerunt, vel in præsentia etiam obtingunt & accidunt.

In Catilinam Tertia, cuius status & propositio: Factum illustre & præclarum, Deorum immortalium beneficio præstitimus, Rempub. conseruauimus, & periculo omni nostris consiliis ac laboribus liberauimus. Habet locum illustrem Oratio, in facti cuiusq; magnifica & penè exultante commendatione, præstiti in Ecclesiarum conseruatione, scholarum erectione, artium promotione, Rerumpub. defensione, bellorum & rerum quarumcunq; ciuiliū felicissima gestione.

In Catilinam Quarta, cuius propositio: Syllani potius sententiam de coniuratis interficiendis, quã Cæsaris, de coniuratis in vinculis per municipia habendis, sequendam & amplectendam esse censeo: Habet locum Oratio in suasionibus maxime illis,  
B  
quæ



quæ duabus propositis partium sententiis, ad harum alteram prudenter & moderatè, sine partis aduersariæ offensione deflectit. Habet & locum Oratio in ferendis moderatè sententiis, sub publicis consultationibus.

Pro Murena, cuius triplex status seu propositio: Prima est: Murenæ vita, nulla parte reprehendi potest. Secunda: Par etiam est Sulpitio Murena contentione multarum dignitatum, in plerisque etiam superior. Tertia: Neque etiam ambitus crimine (id quod opponit Sulpitius) Murena tenetur. Pars orationis prima locum habet in defensionibus maxime illis, quæ contra obiectam alicuius vitam instituuntur. Pars secunda, habet locum in personarum, tum vero munerum, officiorum, artium & facultatum collatione, quæ dignitate pares aut impares, inferiores aut superiores controuertuntur. Tertia locum habet in non facti defensione, maxime ambitus, superbiæ, vel arrogantia amolitione.

*ORATIONES, POST CONSV-  
LATVM GESTVM DICTÆ ANTE*

*exilium, ab anno ætatis Ciceronis 45. ad An-  
num ætatis eius 49.*

**P**RO L. Sylla, cuius status & propositio: Sylla, Catilinæ coniuratus non fuit: Habet locum Oratio in Non facti, maxime, sodalitiij prauis defensione illa, quæ quem ex vita, & moribus antè actis tuetur.

Pro Archia, cuius status & propositio: Iure Archias, Romanus ciuis habetur. Habet locum Oratio in iuris defen-



defensionibus maximè illis, quæ quem præter legem, ob doctrinam illustrem, & facta præclarè gesta tuerur.

Pro L. Flacco, cuius status & propositio: **Lucius Flaccus repetundarum non est reus.** Habet locum Oratio in Non facti defensione, maximè illa, quæ quem contra testes citatos, & sparsum communem multitudinis rumorem ab obiecto scelere vindicat.

**ORATIONES POST REDITUM AB EXILIO, AB ANNO**  
*ætatis Ciceronis 50 ad Annum ætatis eius 64.*

**P**ost reditum in Senatu, cuius propositio: **Gratias vobis patres conscripti ago, quod vestro beneficio restitutus sum.** Habet locum illustrem Oratio in splendidissimis beneficiorum laudationibus, & amplissimis Gratiarum actionibus, in quibus non tam vni quam pluribus singillatim, pro quouis exhibito officio & beneficio gratiæ agi possunt.

Post reditum ad Quirites, cuius propositio: **Nemo vnquam tanta eloquentia fuit, qui magnitudinem beneficiorum, quæ in me & liberos meos, ipsa mei restitutione contulistis, oratione ornare aut consequi possit.** Habet locum illustrem Oratio, in factorum & beneficiorum magnificentissimis commendationibus.

Pro domo sua ad Pontifices, cuius propositio: **Domus mea à Clodio euerfa, & Deæ Libertati consecrata, mi-**



ta mihi iure restituenda est. Habet locum illustrem Oratio, in graui & acri admodum iuris defensione, accusationi coniuncta, in qua vnicuiq; , quod suum fuit, & quod suum est, iure reddendum vel tribuendum ostendimus.

De Aruspicum responsis, cuius propositio: Domus mea Aruspicum responsis (vt falsò asserit Clodius) non est significata vel intellecta, quasi propter eam Dij fuerint Reipub. irati, sed fuit Clodius ipse, indubitato responsis Aruspicum illis petitus. Habet locum Oratio, in defensionibus ex scripto, & interpretationibus legum, dictorum & sententiarum, quas pro nobis maximè contra alios facere ostendimus. Itaq; exemplum est Oratio de Aruspicum responsis perfectissimum Defensionis ex scripto & sententia, sub statu legali Generis iudicialis.

Pro P. Sextio, cuius status & propositio: P. Sextius in tribunatu per vim nihil commisit, sed cum maxima laude in eo versatus est. Habet locum illustrem Oratio in Non facti defensione, maxime illa, cuius argumenta ex locis personarum demonstratiui generis, vt parentibus, vita, moribus, gestis rebus, & aliis plerisque ducuntur. Poterit etiam orationis huius locus esse, in personarum commendatione, iuxta vulgatos demonstratiui generis in personarum commendatione locos.

In Vatinius testem, cuius status & propositio: Vatinius testis est vanus, & homo ex fraude & improbitate compositus. Habet locum Oratio in Defensionibus contra testes, & in personarum vituperationibus, quæ à factis maximè personarum sceleratè commissis ducuntur. P.M.



P. M. Coelio, cuius propositio: M. Coelius neq; aurum à Clodia sumpsit, neque Venenum eidem parauit. Habet locum Oratio in defensionibus, in quibus factum, maxime adulterium, mutuum, veneficium & si quod huiusce est finitimum, negari solet.

Pro L. Cornelio Balbo, cuius propositio: Balbus iure donatus est ciuitate à Pompeio. Habet locum Oratio in iure facti defensionibus.

De prouinciis Consularibus, cuius propositio: Pisoni & Gabinio, Syriam & Macedoniam prouincias eripiendas esse censeo, Cæsari vero Galliam prouinciam prorogandam. Habet locum illustrem Oratio in suafione & dissuafione, maxime in hoc vel illo Rege aut Principe eligendo aut retinendo, altero vero abigendo, urgendo, expellendo, nec acceptando: Quales nunc passim elaboratæ quorundam contra Hispanum & Turcam orationes leguntur.

In L. Pisonem, cuius propositio: Tu vero Piso in fortunarum & dignitatum mecum contentione, ad honores errore hominum obrepfisti, in consulatu, abitu, absentia, reditu, scelera turpissima commisisti, & vitam priuatam ac domesticam omni Viciarum genere commaculasti. Habet locum illustrem Oratio, in personarum vituperationibus, maximè illis, quæ in Demonstratiuo genere, à personæ moribus, & rebus sceleratè gestis ducuntur. Habet & locum Oratio, si quis à quopiam sub fortunarum collatione reprehensus & exagitatus, suæ vitæ rationes cum alterius vitæ rationibus conferat.



Pro Cn. Plancio, cuius propositio: Cn. Plancius legitime, non iniuria nec largitione, ædilis est factus, & Laterensi prælatus. Habet locum Oratio in iure facti defensionibus, in quibus personas conferimus, & populi fauorem ac suffragia ostendimus.

Pro C. Rabirio posthumo, cuius propositio: Rabirius non accepit pecuniam ob rem iudicandam. Habet locum oratio in Non facti Defensionibus.

Pro T. Annio Milone, cuius propositio: Milo iuste occidit Clodium. Habet locum illustrè Oratio in iure facti defensionibus, quibus Lege, Translatione & Remotione tueri rem conamur.

Pro M. Marcello, cuius propositio: Nullam laudè ampliorem adeptus es Cæsar, præter eam, quam ex Marcelli restitutione habes. Habet locum illustrem oratio, in factorum commendationibus, & Gratiarum actionibus.

Pro Q. Ligario, cuius propositio: Ligarius communi errore & necessitate diutius in Africa subsistens, ne tibi Cæsar prouincia traderetur, factum fatetur, & sibi ignosci precatur. Habet locum oratio in defensionibus Assumptiuis, in purgationibus & deprecationibus.

Pro Rege deiotaro, cuius propositio: Deiotarus nullas vitæ tuæ Cæsar insidias struxit, neque reliqua ipsi ad insidias obiecta crimina commisit. Habet locum oratio in Non facti defensionibus. Poterit etiã  
locus



locus eius esse in obiectionum quarumcunque Refutationibus.

Philippicæ quatuordecim, Inuectiuas in Antonium continēt, de quarum statu & accommodatione consilio quodam meo, peculiari scripto monebo.

Atq; hæc quidem oratorum principis Ciceronis extant publicatæ, & splendore mirifico ad senatum ac populum in rostris & curia dictæ orationes, quæ si omnes & singulæ, ad grauem imitationem, in summam nudè & breuiter cogantur, pertinebunt

## IN DELIBERATIVO GENERE

Ad

CONSULTATIONES: Oratio prima in Verrem Diuina-  
tio dicta. Quarta in Catilinam. pars orationis altera pro Lege Ma-  
nilia.

EXHORTATIONES: Oratio prima in Catilinam, pars o-  
rationis prima pro Lege Manilia.

SUASIONES ET DISSUASIONES: Oratio prima  
de Lege Agraria in senatu. Oratio secunda de lege Agraria ad popu-  
lum. Oratio quarta in Catilinam. Oratio de prouinciis consula-  
ribus.

## IN DEMONSTRATIVO GENERE

Ad

FACTORVM COMMENDATIONES ET VITV-  
perationes: Oratio secunda in Catilinam. Oratio tertia in Catili-  
nam, pars secunda orationis pro Murena. Oratio post reditum in se-  
natu. Oratio post reditum ad Quirites. Oratio pro Marco Mar-  
cello.

GRATVLATIONES ET ACCLAMATIONES.  
Oratio in Catilinam secunda.

GRA-



GRATIARVM ACTIONES: Oratio pro M. Marcello,  
Oratio post reditum in senatu.

PERSONARVM COMMENDATIONES: Oratio  
pro P. Sextio, pro Archia Poëta.

PERSONARVM VITUPERATIONES: Oratio in  
Vatinium, Oratio in Pisonem, & Verrinae ac Philippicae pleraeq.

## IN IUDICIALI GENERE.

Ad

ACCUSATIONES, INVECTIVAS, CRIMINATIONES,  
INSECTATIONES: Tertia, Quarta, Quinta, Sexta,  
& Septima in Verrem, Orationis pro A. Cluentio pars aliqua, Item  
Philippicae pleraeq.

DEFENSIONES NON FACTI: Oratio pro Sexto  
Roscio Amerino, pro Q. Roscio Comædo, pro M. Fonteio, pro A. Clu-  
entio. Oratio de Lege Agraria Tertia, pro C. Rabirio perduellionis  
reo, pro Murena, pro Sylla, pro P. Sextio, pro L. Flacco, pro M. Cælio,  
pro Cn. Rabirio posthumo, pro Deiotaro.

DEFENSIONES IVRE FACTI: Oratio pro P. Quin-  
tio, pro Archia, pro Doma sua ad Pontifices, pro L. Cornelio Balbo, pro  
Cn. Plancio, pro Milone.

DEFENSIONES EX SCRIPTO ET SENTEN-  
tia: Oratio pro Cecinna, & de Aruspicum responsis.

PURGATIONES ET DEPRECATIONES: Oratio  
pro Ligario.

F I N I S.











37  $\frac{13}{K, 8}$


AB: 37  $\frac{13}{K, 8}$

X 1986550









CICERONIA-  
NARVM ORATIO-  
NUM STATUS, ET HO-  
RVM AD RES CIVILES  
ACCOMMODATIO.

*Autore*

M. HARTVICO SMIDESTEDT.



HELMSTADII

Ex Officina typographica Iacobi Lucij.

Anno M. D. XC.

